



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. I. ob Scientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

P A R S III.

DE TENTATIONIBUS
CIRCA VITIA OCCUR-
RENTIBUS.

I. **E**T si innumera sint vitia, ad quæ committenda homines impelli possint, non tamen opus est ut pro singulis singularia remedia & arma præscribantur, tum quia ingens ad hoc volumen requireretur tum quia ex ijs, quæ de tentationibus circa capitalia aliæque notiora vitia hoc loco dicentur, facile patet, quomodo tentationibus circa alia etiam vitia occurrentibus sit obviandum.

C A P U T I.

DE TENTATIONIBUS CIRCA
SUPERBIAM.

II. **S**icut varij sunt fontes, ex quibus oriri potest superbia, ita diversa quoque sunt arma necessaria quibus repelli debeant hostes ad superbiam incitantes, quæ proin per distinctos §§. rectius proponuntur.

§. I.

Tentatio I. Circa Scientiam.

III. **V**alentinus homo doctissimus, & in omnibus scientiarum genere versatissimus gravissimè tentari fatetur, tum ad alios præ se vilipendendum tum ad varios honores & dignitates ob talem scientiam

tiam ambiendos, & prensandos. Quæritur, quomodo contra has tentationes armari debeat?

Responsio.

IV. Primò illi bene inculcet sequentem S. Pauli 1. ad Cor. 13. *Si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quod ipsum pulchrè confirmans S. Augustinus in Confess. *Infelix, inquit, homo, qui scit illa omnia, te verò nescit: beatus verò, qui te scit, etiamsi illa omnia nesciat: qui verò te & illa novit, non propter illa, sed propter te solam, beatus est.* Si ergo omnis, & quidem perfectissima scientia digna non est, ut propter illam vel minimum gloriemur, quis nisi insanus propter minimam particulam scientiæ, & quidem majori ex parte incertiæ, & divinatoriæ duntaxat, gloriari præsumet? an non verè illud Poëtæ hîc locum habebit: *Si totum nihil est, quàm nihil est minimum!*

V. Secundò eum perpendere jubeat, quid sit scientia, nempe lumen intellectûs, de quo S. Jacobus c. 1. locutus est dicens: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum?* quis autem non stultum diceret populum illum, qui gloriaretur, aut alteri se præferret, quòd solem plùs, aut diutiùs sibi, quàm alijs lucentem habeat? aut casam rusticanam rimas undique agentem, illustriorem diceret, digniorémque, eò quòd propter easdem rimas plùs lucis, quàm aula regia admitteret? atqui idem faceret, qui propter lumen scientiæ à DEO sibi communicatum se efferret, & alijs meliorem judicaret.

VI. Tertio illi ostendat, quod scientia sit Instrumentum ipsi à DEO datum, quo suam & aliorum salutem procuret; sicut ergo non ille opifex laudatur aut magni æstimatur, qui bona aut argento ornamenta habet, sed qui iisdem bene uti novit opera artis suæ faciendæ; ita nec ille magni facendus est, qui magnam & variam scientiam habet, qui eandem adhibet ad finem, propter quem illi data est, consequendum. Hinc merito pius Ascensius I. de imit. c. 2. dixit; *Noli extolli de ulla arte scientia, sed potius time de data tibi notitia. Quis plus est melius scis, tanto gravius inde iudicaberis nisi sanctius vixeris.*

VII. Quarto illi demonstrat, quod scientia sit doctrina, quam velut cibum animæ nostræ offeramus, sicque eam in perfectione & virtutibus crescere faciamus; quis autem non insipiens diceretur, si gloriarietur, se penum optimis, delicatissimis, rarissimisque cibis instructam habere, & tamen nunquam eorum gustaret, sicque famelicus & macilentus maneret? Pulchrè sanè & accommodatè hanc stultitiam Joannes Ximemus Coadjutor è Societate JESU Visitatori, aliisque doctissimis viris declaravit, dum in villa, ad quam recreationis causâ secesserant, recreationati super mensam iussus, inter alia sic peroravit. Cùm nuper in agro ambularem, occurrit mihi currus hordeo oneratus, quem duo muli in speciem fortissimis robusti trahebant, sed in luto ita hæsitabant, ut progredi amplius non potuerint, donec me societas iuventibus, & Auriga impellente emergerunt. Quod facto cùm ego interrogarem, cur Muli tam grande currum extrahere è luto non potuerint? respondit Auriga

Auriga, causam esse, quòd macilentis nimis, & debiles sint; cùmque ego iterum subijcerem, cur adeò macri sint, cùm tamen currum integrum hordeo onustum vehant? respondit ille, vehere quidem illos hordeum, sed non propterea hoc illis in pabulum offerri. Hoc responso audito, occurrit mihi, quòd idem etiam aliquibus viris doctissimis eveniat, utpote qui & ipsi caput plurimis saluberrimis doctrinis refectum circumferunt, sed tamen interea in spiritu macilenti existunt, quia doctrinas tales non applicant sibi. Quæ quidem omnia cum tanta Spiritus vehementia dixit, ut similitudo, quæ ab initio videbatur ridicula, post applicationem factam fletum excitavit.

§. II.

Tentatio II. ob Eloquentiam.

VIII. **C**hrystostomus Orator eloquentissimus, dum passim Populum ad audiendum Verbum Divinum ad se confluere advertit, & præterea conciones suas tum voce prolatas, tum typo commissas, mirè ubique deprædicari audit, non mediocres inde stimulos sentit, ad altiùs de se sentiendum, vanèque sibi in tanta laude & gloria complacendum. Quæritur, quomodo hos stimulos reprimere possit, ac debeat?

Responso.

IX. Primò sibi in memoriam revocet saluberrimam simul, & verissimam S. Pauli I. Cor. 3. sententiam: *Ego plantavi, Apollo rigavit, DEVS autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat DEVS.*